

ductus, ea docet quæ cum prædeterminante auxilio ejusque necessitate non subsistunt. Dixit enim imprimis, causam ob quam, ex duobus excitatis, unus se præparat ad gratiam, et non alius, in libertatem arbitrii et non in defectum alicujus auxilii necessarii ad talem præparationem esse reducendam; quia in potestate utriusque est habere omne auxilium ad talem præparationem necessarium. Unde addit quod, si alicui sine culpa sua auxilium necessarium negaretur, non posset illi carentia præparationis imputari. At si physica prædeterminatio est necessaria, non est in hominis potestate, nec qui illa caret, sua culpa illa privatur, ut supra ostensum est.

14. *Septimo, principaliter allegatur Ægidius.* — Septimo, principaliter allego Ægidium, quem Camel nobis objicit in 2, distinct. 23, quæst. 2, art. 1, quia dicit, ut anima convertatur in Deum, conversione qua se ad gratiam disponat, necessarium esse ut, ordine saltem naturæ, præcedat divinus quidam impetus. Quis autem hoc negat? Oporteret ergo referre quomodo Ægidius illum impetum declaret, et an significet prædeterminare voluntatem, vel potius relinquere illam indifferentem. Nam quod ad primum attinet, postquam Ægidius allegavit illa loca Scripturæ: *Ecce sto ad ostium, et pulso; Audiam quid loquatur in me Dominus;* adjungit: *Hujusmodi autem pulsationes, vel locutiones, aut conversiones, possunt dici boni impetus quos continue vel quasi continue Deus facit in anima nostra.* Nihil ergo aliud per hos impetus Ægidius intellexit, nisi motus gratiæ excitantis, quos infra vocationes Dei appellat. Estque evidens argumentum, quia dicit illos continue, vel quasi continue, et iterum, *semper vel quasi fieri a Deo in anima nostra,* quod non potuit dicere nisi propter inspirationes divinas, quæ sunt motus vitales quos percipimus, et per quos nobis loquitur, vel nos terret aut afficit: nam prædeterminatio, etiamsi daretur, non ita frequenter fit, sed solum cum libere consentimus.

15. Et hinc evidenter convincimus, non loqui Ægidium de impetu prædeterminante, sed de inclinante, quia illi impetus, qui quasi continuo fiunt in nos, raro habent effectum consensus liberi. Unde adjungit ille auctor: *Cum ergo tales impetus sequimur,* dicimur aperire Deo; et infra: *Et ipse in nobis suam vocem audientibus, et suis impetibus seu motibus obtemperantibus largitur suam gratiam.* In quibus verbis aperte supponit non semper homines sequi illum impetum, nec aperire pulsanti, ac

proinde non esse prædeterminantem; imo quod hoc sit in nostra libertate, aperte sentit, dicens ulterius: *In nobis autem est permanere in virtute, et sequi Deum ad hanc vocantem, vel secedere, etc., et sequi diabolum ad malitiam vocantem.* Et infra dicit hos impetus gratiæ, etiam in statu legis naturæ, datos fuisse hominibus, quos aliqui sequentes disponebantur ad gratiam, et concludit idem fuisse servatum in Angelis. Profecto in toto hoc discursu evidenter docet hic auctor nostram sententiam, nec inter illos impetus gratiæ excitantis et conversionem agnoscit aliud medium auxilium, quod ordine naturæ antecedit cooperationem liberi arbitrii, et expresse etiam dicit, in aliis agentibus, vel ad operationem ordinis naturalis, non esse necessarium aliquem impetum, *sed solam operationem Dei, secundum quod Deus in omni operante operatur.* Addi etiam potest quod, in eodem 2, distinct. 7, quæst. 1, art. 2, § *Sunt alii impetus,* ad opera gratiæ solum postulat ex parte Dei motus gratiæ excitantis, quos vocat impetus, quos possumus sequi; quos sequendo adipiscimur gratiam, et non sequendo sumus in culpa. Et eodem modo de Angelis loquitur.

16. *Octavo, refertur Adrianus.* — Octavo, refero Adrianum, quem Ledesma contra nos allegat in 4, quæst. de Sacramento. pœnit., de quo Sacramento plures quæstiones tractat Adrianus; hanc vero materiam solum attingit in quæst. 1, post tractatum de Restitut., in art. 3, qui incipit: *Tertio restat,* in cujus initio dicit, *terram animæ nihil Deo dignum posse efficere, nisi sole gratiæ illustretur, et ad operandum excitata adjuvetur.* Et infra dicit animam non posse curari a morbo peccati via naturæ, *sed medicina celestis gratiæ morbum illum vincere, et animam sanare potest, anima quidem cooperante, sed minus principaliter.* Nihil certe est in his verbis quod ad prædeterminationem ullo modo pertineat. Pergit vero, dicens cum Augustino: *Magna gratiæ commendatio, quia nemo venit, nisi tractus;* et inde inducit admirationem, *cur hunc trahat et illum non trahat,* cum responsione Augustini, et verbis Christi: *Si in Tyro et Sidone,* et loco Augustini in quo tractionem explicat per excitationes congruentes. Unde nihil invenio in illo auctore, in quo a nostra sententia discrepet, nam potius illi favet, cum non agnoscat nisi gratiam excitantem, et cooperantem, et excitantem quoad efficaciam per congruitatem declaret more Augustiniano.

17. Nono, hic addi possunt omnes auctores

quos in prolegomen. 1 adduximus, dicentes ad liberam actionem necessarium esse ut, potentia proxima, positus omnibus prærequisitis ad agendum, possit agere et non agere. Item quos allegavimus in lib. 3, dicentes voluntatem præexistentem ordine naturæ plene constitutam in actu primo, et sic indeterminatam, seipsam determinare cum concursu proportionato et simultaneo primæ causæ offerentis illum de se indifferenter, et quasi dependenter a libera cooperatione voluntatis. Ex his enim principis evidenter refellitur necessitas, imo et possibilitas auxilii prædeterminantis ad actum liberum, etiamsi supernaturalis sit, quia et ratio libertatis eadem est, formaliter loquendo, in actu supernaturali, et propter supernaturalitatem non postulat actus majorem determinationem antecedentem in potentia libera, sed majores et supernaturales vires, in actu primo sine prædeterminatione dari possunt.

18. Quidam vero contra nos allegat Doctores Scholasticos, asserentes voluntatem beneplaciti Dei infallibiliter et semper impleri, et esse immutabilem, prædefinireque actus liberos, præsertim prædestinatorum, et ad hoc citat Bonaventuram, in 1, distinct. 40 et 47; Scotum, distinct. 39 et 46; Capreolum, distinct. 43 et 47; Herveum, distinct. 38 et 46; et Guillelmum de Rubion., 1, distinct. 38, 46 et 47; et posset allegare omnes de voluntate, scientia et prædestinatione Dei scribentes. Sed illa omnia generalia sunt, et de illis non est inter nos controversia. Nemo enim Catholicus negat voluntatem Dei absolutam et beneplaciti semper impleri, et esse immutabilem, nec etiam de prædefinitione actuum liberorum nunc disputamus, et nullus fere est qui absolute neget posse Deum illos prædefinire, sed tota controversia est de modo prædefinitionis, et concordiæ cum usu libertatis nostræ, et consequenter de modo quo Deus efficaciter, seu infallibiliter exequitur per hominem, id quod prædestinavit aut præfinivit eum velle.

19. At vero dicti auctores nunquam docuerunt hanc executionem fieri media prædeterminatione ad extra, quæ ita necessitet voluntatem, ut non possit illi resistere, postquam illi semel imprimatur simili vel majori necessitate ac independenter ab ejus libertate, nullusque invenietur ex antiquis Theologis qui talem prædeterminationem cum libertate arbitrii concordare fuerit conatus. Imo supponere videntur concordiam libertatis cum

tali prædeterminatione esse impossibilem, et ideo, illa prætermittitur, aliter concordiam explicant, vel media aliqua conditione inclusa in objecto divini decreti, ut Alensis, vel media aliqua præscientia, ut Bonaventura supra, et tractat bene Andreas de Castronov. in 1, distinct. 22, quæst. 5 et 6, et attingit Okam in 1, distinct. 83, quæst. 1, litter. 1; Gregorius, quæst. 2, art. 2; Gabriel, art. 1, in 2 parte illius; Waldens., lib. 1 Doctrinal. fid., cap. 28; Joan. Arboreus, tom. 1 Theosoph., lib. 4, cap. 11. Idemque constare potest ex dictis de libero arbitrio in prolegom. 1, et de concursu Dei cum voluntate creata, in lib. 3. Quocirca, in locis citatis dicunt quidem in generali divinam voluntatem absolutam semper impleri, et ad ejus omnipotentiam pertinere, ut possit quod vult facere, per voluntatem creatam libere operantem, modum autem in particulari, vel non declarant, vel semper ita illum exponunt, ut necessitas quæ in illo intervenit, non sit antecedens, sed consequens, ut sæpe tetigimus.

CAPUT XLVII.

QUID MODERNI SCRIPTORES DE HAC CONTROVERSIA SENSERINT.

1. *Opinio modernorum scriptorum post Concilium Tridentinum.* — Eos scriptores sub hoc titulo comprehendo, qui post Concilium Tridentinum hoc punctum attigerunt, et ideo initium sumam a M. Soto, qui eodem tempore, et ad ipsum Concilium, opus de Natur et Grat. scripsit, et magnam merito apud omnes habet auctoritatem. Hunc ergo insignem Theologum pure et sincere pro nostra sententia allegavi in libro tertio de Auxiliis, cap. 13, in fine, quod male tulerunt contrariæ sententiæ Auctores, et quidam ipsorum tacite me accusat, quod non ex fide verba ejus, quædam interposita subticendo, allegaverim, ipseque longo discursu Sotum in suam sententiam trahere conatur. Sed, licet potuerim vel Sotum non attente legere, vel propter affectum ad propriam sententiam illum non intelligere, verisimile tamen assero fideliter eum retulisse, sicut illum intellexi, nihilque ad occultandum vel mutandum ejus sensum, sed solum brevitate causa aliqua verba, quæ necessaria non videbantur, omisisse. Nunc vero, cum iterum atque iterum varia ejus loca relegerim, constanter affirmo de auxilio gratiæ idem quod nos diximus do-

cuisse, excepto uno modo loquendi de auxilio, seu concursu simultaneo, in quo etiam nunc alii recentiores Thomistæ a Soto discrepant, et fortasse solum in verbis discrimen positum est.

2. *Allegatur Soto. — A Deo neminem coactu ad se trahi. — Notandum.* — Explico singula. Nam Soto, in libr. 1 de Natur. et Grat., cap. 15, assertionem de libertate nostra in operibus conversionis inde probat, quod *neminem coactu Deus, vel necessitate ad se trahit, sed in nostra est potestate gratiam ejus respuere.* Ubi pondero, primo, post vocem *coactu*, addidisse *vel necessitate*, ut non solum libertatem a coactione, sed veram indifferentiæ libertatem tueretur. Secundo, noto loqui de necessitate ab extrinseco illata a Deo, posita, ex parte intellectus, advertentia necessaria ac sufficiente ad conversionem, nam excludit necessitatem a Deo provenientem, ab illo qui actu convertitur. Unde talis necessitas non poterat esse nisi ex aliqua motione Dei, ac proinde respectu illius in sensu composito. Judicavit ergo Soto hanc necessitatem esse contrariam veræ libertati, et ideo illam in conversione negavit; quam tamen fautores physicae prædeterminationis vel requirunt, vel admittunt. Denique ad libertatem hanc necessarium credidit, ut in homine qui convertitur sit potestas resistendi gratiæ, utique trahenti, nam hoc est illam respuere, ut supra circa Concilium Tridentinum diximus, cujus formam loquendi Soto imitatus est; postea vero addit nunquam per Deum stare, quominus ipsi pulsanti aperiamus, quod certe non ita esset, si prædeterminatio esset necessaria, ut supra ostensum est; postea vero, radicem propriam hujus veritatis attingens, ait: *Non enim ad se nos trahit Deus, ut pecudes, etc., sed illuminando, dirigendo, pulsando, et instigando*, ubi non aliter modum tractionis et præmotionis Dei exponit, quam nos cum Augustino explicavimus. Neque in toto discursu illius capitis aliud peragit, nisi eandem doctrinam verbis Scripturæ, Augustini, Hieronymi, et Bernardi confirmare.

3. At vero in fine quarti, hunc eundem locum recognoscens, Soto repetit quod ibi dixerat, causam proximam cur ex duobus vocatis unus justificatur, et non alius, ex libertate arbitrii sumendam esse, scilicet, quia iste assentire voluit, ille noluit; nam ex prædeterminatione solum causa remota redditur. Addit priorem partem esse intelligendam de causa materiali et dispositiva, quod intelligit

respectu infusionis primæ gratiæ, nam respectu actualis conversionis, cur in uno sit et non in alio, causam proximam dicit esse libertatem voluntatis. Addit tamen: *Quidam vero hoc taxare voluerunt, dicentes quod nimium tribuerim libero arbitrio in justificationis causa.* Si nobis exposuisset Soto quam ob causam illi censores, quos refert, dictum ejus taxare voluerint, evidentius mentem suam explicasset. Verisimillimum autem existimo ideo censores illos in dictis Soti offendisse, quia motionem Dei prædeterminantem e medio tollebat, et quia, præter prædeterminationem, non reddebat ex parte Dei aliam causam proximam, ob quam ex duobus vocatis unus convertatur, et non alius, præter libertatem voluntatis, sentiens in tota vocatione, et in omnibus motionibus prævenientis gratiæ posse esse æqualitatem, et nihilominus in actuali conversione posse esse discrimen; hoc enim est quod ibidem ait: *Cum ex duobus utrumque Deus aspiret, cur iste convertatur, et non ille, reddi non potest causa, nisi quia unus præbet assensum, alter vero minime.* Quod certe non esset verum, nisi aspiratio esset æqualis, alioqui ex majori aspiratione posset reddi ratio. In illa ergo doctrina, evidenter supponebat Soto non dari ei qui convertitur, prædeterminationem præviam, quæ alteri negetur. Hoc ergo est quod alii taxare voluerunt; jam enim fortasse opinio illa incoeperat pulsare. Et nihilominus ipse constanter respondet: *Et tamen salva semper Ecclesiæ Catholice censura, arbitror necessario dicendum.* Et rationem reddens, addit: *Assensus enim liberi arbitrii non est causa præveniens motionem Dei, sed effectus ejusdem motionis idem prævenientis liberum arbitrium.* Qualis autem illa sit, explicat, dicens: *Est enim pulsatio, et aspiratio Dei ad corda nostra;* et de hac aspiratione, et præveniente motione, dicit esse causam nostri consensus, non tamen habere hunc effectum necessario, quia oportet liberum etiam arbitrium suam cooperationem adjungere, quam doctrinam exemplis et testimoniis locupletat, nihil tamen mutat neque addit in substantia doctrinæ, et ideo non oportuisset tam prolixè verba referre, nisi nos adversariorum instantia cogeret. Illud denique verbum, quod postea subdit: *Qui audit et discit, venit ad me: quasi in nostra potestate sit trahenti assentire, vel dissentire;* prædeterminationi est contrarium, quia talis potestas non est in nobis, si tractio per physicam prædeterminationem fiat.

4. Hanc eandem doctrinam latius exposuit Soto in dicto lib. 1, cap. 16, ut in altero loco refert, et tacite confirmat. Ibi enim tres ordines effectuum gratiæ, qui in nobis fiunt a Deo, distinguit; in primo, ponit motiones gratiæ prævenientis, quibus Deus solus movet corda nostra; explicat autem idem Soto particulam illam *solus*, excludere liberam cooperationem nostram, non tamen vitalem efficientiam. Et in hoc ordine ponit *inspiraciones, illuminaciones, pulsaciones, ac denique totam internam vocationem*, quam *excitando et suggerendo* Deus in nobis facit. Neque agnoscit aliam motionem præviam, quæ a solo Deo, nobis nec libere nec vitaliter cooperantibus, in nobis fiat: *Neque ego* (inquit) *contrarium potui unquam excogitare.* In tertio ordine ponit habitus infusos, qui ad præsens non referunt. Igitur in secundo ordine ponit quemlibet actum supernaturalem liberum, etiam ipsam conversionem, inter quam et priores actus gratiæ excitantis, non ponit mediam aliquam motionem, quæ a Deo solo fiat, sed dicit simul tempore fieri a Deo et a nobis. Et ita ad hunc secundum effectum, præter priorem gratiæ motionem, nihil aliud requirit, nisi auxilium simultaneum, seu generalem gratiæ concursum. Unde, paulo inferius, de hoc secundo genere motionis Dei ait: *Neque aliud est me Deum hoc modo movere, quam mecum concurrere ad eligendum liberum actum.* Et ibidem expresse addit, quando unus convertitur, et non alius, esse necessario inæqualitatem in hoc concursu, non vero in prævenientibus motionibus.

5. *Effugium. — Occurritur effugio.* — Dices ex his recte colligi non posuisse Soto prædefinitionem distinctam ab actu conversionis, seu in actu primo, nihilominus tamen potuisse illam ponere in actu conversionis, seu in ipsomet concursu ad illum. Et videtur ita sentire, nam ait per hanc motionem Deum nos trahere, convertere, præmovere, eoque aliquem melius converti, quo hanc motionem recipit arctiorem et meliorem. Denique addit *illam motionem Dei, licet sit simul, esse priorem natura cooperatione liberi arbitrii;* cum ergo inseparabilis sit cooperatio liberi arbitrii ab illa motione Dei, erit illa prædeterminatio ejus in actu secundo. Quam verò fuerit Soto alienus ab hac cogitatione ponendi prædeterminationem in tali concursu, evidenter, ut opinor, convincitur ex his quæ dicit in principio ejusdem capitis; proposita enim difficultate quomodo possit voluntas libere consentire, cum Deus, per suam omnipotentem volunta-

tem, cui humana non potest resistere, illam moveat, respondet in summa, voluntatem humanam posse illi motioni resistere, seu facere ut in re non ponatur, neque hoc esse contra omnipotentiam Dei, quia ipse disposuit *cum singulis causis modo proprio concurrere*, cum naturalibus naturaliter, et cum voluntariis libere. Et ad hoc explicandum subjungit: *Quocirca, quidquid Deus vult voluntate absoluta et quæ dicitur beneplaciti, fit juxta illud: Voluntati ejus quis resistet? Quando autem cum libero homine concurrat, non vult illud fieri nisi salva humana natura, et libera voluntate, quæ idcirco resistere Deo potest.* Ubi evidenter distinguit hanc posteriorem voluntatem a voluntate absoluta, et beneplaciti, et cui resistere nullus potest; ergo sentit esse conditionatam, et ob inclusam conditionem non esse omnino efficacem ac beneplaciti, ac proinde illi resisti posse. Conditionem autem in illa voluntate ex parte objecti inclusam explicat inferius, dicens: *Sunt ergo alia secundi generis opera, quæ ita in nobis Deus exercet, si nos tamen assensum præbeamus.* Hæc ergo conditio est in objecto illius voluntatis posita, et ideo non est absoluta, nec omnino efficax, et inde fit ut liberum arbitrium possit illi resistere, vel suspendendo actum suum, vel alium repugnantem efficiendo. Quod certe non posset, si Deus, per absolutam voluntatem talis actus vel effectus, concursum suum præstaret; tunc enim, et solum ad illum actum offerret concursum et sic nullum alium actum posset voluntas hominis efficere, et determinaret prorsus, vel potius necessitaret voluntatem hominis ad exercitium talis actus, ut supra ostensum est: quapropter nullo modo posset humana voluntas illi voluntati Dei resistere. In his ergo omnibus Soto nobiscum consentit. Alia vero quæ, ex eodem Soto, super Epistol. ad Rom., allegari solent, ad rem non pertinent; nam sunt generalia principia de gratia præmovente et efficaci, et de prædestinatione, quam omnes admittimus.

6. Unum vero est in quo Soto a nobis differre videtur, quia dicit illum concursum, prout est motio Dei, esse priorem natura quam sit cooperatio nostræ voluntatis, et consequenter esse unum ex prærequisitis ad consensum, et non ex concomitantibus. Sed in hoc ejus sententiam non probamus, nisi fortasse ita explicetur, ut in verbis tantum a nobis discrepet. Non enim ponit duos concursus Dei necessarios ad consensum post motionem gratiæ excitantis, sed unum tantum, ut ex discursu illorum capitum constat; ille autem con-

cursus imbibitus necessario esse debet in ipsa actione voluntatis, et ab illa in re non distingui, ideoque nec potest esse ex prærequisitis ad agendum, neque prius, sed simul natura, secundum propriam rationem causalitatis. Et in hoc jam nobiscum conveniunt moderni Thomistæ, et consequenter recedunt a sententia Soti, in illo sensu intellecta. Quod si fortasse Soto existimavit in ipsomet actu consensus actionem Dei et actionem voluntatis esse in re distinctas, et ideo actionem Dei esse prærequisitam et priorem natura, jam hoc a nobis satis refutatum est in cap. 18. Et supposito illo sensu, fateor incaute incidisse in quemdam modum physicæ prædeterminationis, non vidisse autem repugnantiam quam hic sensus includit cum his quæ in eodem capite dixerat, nec fortasse de illatione cogitasse. Posset tamen intelligi de prioritatem naturæ late sumpta, ut dicit prioritatem independentiæ et perfectionis, vel certe posset exponi de auxilio, non ut jam posito in voluntate hominis, sed ut oblato ex parte Dei; sic enim dicitur recte esse prius natura, et cum illo sic oblato posse voluntatem hominis agere, seu ei resistere. In alio enim sensu, impossibile est quod Soto ait, *illo posito, esse in facultate voluntatis agere et non agere*: nam cum dicit, *illo posito*, jam facit sensum compositum; at, posito ad extra concursu Dei in hominis voluntate, impossibile est illam non agere. Et similiter falsum erit quod dicit: *Ante divinum concursum non potest voluntas agere*, nam, loquendo de concursu ad extra posito in voluntate hominis, falsum est, nam prius tempore vel natura quam illum in se recipiat, potest voluntas agere, quia, ut possit, sufficit ut habeat concursum oblatum. Fateor tamen Sotum, si in hoc sensu locutus est, immerito et æquivoce sententiam quam refert impugnare. Quapropter in hac parte ejus philosophandi rationem non probamus.

7. *Refertur Vega.* — Secundo loco allegari solet in utramque partem Vega, lib. 6 in Trident., a cap. 4 usque ad 9. Sed ibi fere transcribit doctrinam Soti, ideoque circa ejus loci sensum immorari non oportet, nam revera lubrice loquitur, quamvis nihil ibi dicat quod sine prædeterminatione physica intelligi non possit, ut libr. 4 de Auxil., cap. 14, et libr. 3, cap. 13, sufficienter explicavi. In libr. autem 12, cap. 22, ad primam objectionem, sic inquit: *Cuperem clare et distincte tradi, perinde esse in nostra potestate omnia exercitia virtutum, ad quæ credimus esse necessariam*

Dei gratiam, ac si solus generalis concursus sufficeret, etc. Et rationem reddit infra, *quia Deus tam admirabiliter suum omnem concursum, et omnem suam scientiam, prædeterminationem, et voluntatem voluntatis nostræ arbitrio subjecit, ut possit ipsa de se quidquid voluerit statuere*. Certe hæc male cohærere possunt cum physica prædeterminatione, imo exaggerationem continent, quam prudenter accipere et explicare oportet. Præterea, in libr. 13, c. 12, multa dicit de auxilio efficaci, quæ cum prædeterminatione physica subsistere non possunt. Nam imprimis ait peccatorem induratum, qui a Deo sufficienter excitatur, posse auxilium efficax ad ultimam conversionem et dispositionem ad justitiam impetrare, si velit. In quo duo includuntur: unum est, hominem sic excitatum posse, per illam solam excitationem, cum generali concursu gratiæ, proxime et immediate aliquid licite operari, quo aliud majus auxilium impetret; aliud est, auxilium efficax esse in hominis potestate interdum proxima, interdum remota, in ordine ad diversos actus. Utrumque autem horum pugnat cum physica prædeterminatione, ut satis in superioribus ostensum est. Verba aliqua ejus, quia energiam et vim habent, hic transcribam; cum enim dixisset induratos posse pœnitere, licet in divina providentia et prophetia infallibile sit eos non acturos pœnitentiam, subdit: *Fit horum omnium causa est, quia, licet nullus valet pœnitere sine auxilio divino, tamen illud auxilium potest quicumque, si velit, habere, etiamsi eo sit privatus. Sicut et auxilio generali ad loquendum careo, cum hæc scribo, tamen illud possum, si velim, habere, et ideo libere taceo, et possum, cum voluero, loqui. Et Deus quidem omnibus peccatoribus perseverantibus in peccatis subtrahit auxilium efficax ad pœnitentiam, quod solis illis præstat, quos vere suorum pœnitet. Sed quia derogare non novit legibus communibus, præsertim favorabilibus, nunquam alicui sic subtrahit, nec quemquam in hoc punit, ut non possit hoc auxilium, sicut et generale habere, hoc enim esset legem communem invertere, et viam terminum facere, sed punit omnes peccatores qui non convertuntur, in hoc quod non habeant auxilium quo convertantur.*

8. *Idem Vega.* — Et in cap. 13, de eisdem induratis ait: *Quod simpliciter et absolute possint pœnitere, satis, opinor, explicavimus ex eo quod quicumque peccator potest, cum voluerit, habere auxilium efficax ad resurgendum. At profecto non ita potest peccator habere, cum*

velit, physicam prædeterminationem, cum nec velle hoc possit, nisi ad illud velle prædeterminetur, ut satis in superioribus deductum est. Ergo, ex sententia hujus auctoris, auxilium efficax non consistit in physica prædeterminatione. Quod vero idem auctor subdit, aliquos in sensu composito non posse converti, ipse tum in illo, tum in capite præcedenti satis exponit, de sensu composito cum præscientia Dei, quoad impossibilitatem simpliciter, vel de sensu composito cum aliqua prava consuetudine, vel frequentia peccandi, quoad moralem impossibilitatem. Et his opponit potestatem simpliciter, quæ consideratur ex vi prævenientis auxilii sufficientis cum libertate arbitrii, et sic dicit esse in potestate cujuslibet peccatoris habere auxilium efficax ad suam conversionem, quod verissime dictum est, et repugnat (ut ostendi) cum physica prædeterminatione. Signum ergo est Vegam nunquam de illa cogitasse pro auxilio efficaci explicando. Unde inferius per auxilium efficax explicat concursum simultaneum, quam Deus nemini negat, si per eum non steterit, quod sano modo intelligendum est, juxta superius dicta. Concursus enim actualis dicitur specialiter efficax, quia ex natura sua est necessario conjunctus cum cooperatione liberi arbitrii, nec potest ab illa separari, quod non habet auxilium excitans, et ideo nec habet illum modum efficaciam, nec semper est efficax, licet alio modo, scilicet ob congruitatem, sæpe sit efficax, ut explicavimus.

9. *Adducitur Alphonsus a Castro.* — *Objectione.* — *Solvitur.* — Tertio, potiori ratione pro nostra sententia profero Alphonsum a Castro, libr. 7 contr. hæres., verb. *Gratia*, hæres. 1, quem etiam in libr. 3 de Auxiliis allegavi. Et licet adversarii abnuant, fortasse, quia non loquitur expresse de prædeterminatione physica illam negando, tamen negare non possunt quin, explicando ex professo auxilia gratiæ, et concordiam eorum cum libertate, ita de illa prædeterminatione tacuerit, ut non solum illam negare, sed etiam prorsus ignorasse ostenderit. Nam imprimis inter quinque assertiones, quas *catholicas* vocat, quarta est: *Postquam Deus voluntatem nostram excitavit ad bonum, est in ipsa hominis voluntate hæc potestas, ut Deo moventi et inspiranti consentiat, vel dissentiat.* Respondendo autem ad primam objectionem, illam magis declarans, dicit hanc esse *arbitrii nostri libertatem, ut Deo moventi consentiat, et cooperanti cooperetur.* Ubi jam non de sola potestate (quod ad-

versarii arripere possint), sed de actuali conversione loquitur, et ad illam nihil aliud quam excitantem gratiam, et cooperationem Dei requirit, et addit: *Deus autem nunquam seipsum nobis negat, imo semper paratus est, ut nos excitet et adjuvet, quod non satis esset si prædeterminatio esset necessaria, quia ad illam non est omnibus Deus paratus, imo quoad illam se multis et innumeris hominibus negat.* Et in responsione ad secundum objectum, eandem doctrinam pluribus verbis repetit, et aperte docet ad opera gratiæ hæc duo tantum auxilia esse necessaria, scilicet, *præventionem et cooperationem.* Præventionem autem exponit, dicens: *Deus ergo prævenit movendo et excitando, nos autem sequimur obediendo per consensum.* Cooperationem autem vocaverat in assertione 3, *concausationem generalem Dei*, et per illam in dicta responsione dicit Deum adjuvare infirmitatem nostram, et nos vocari a Paulo *coadjutores Dei: Ex quibus verbis* (ait) *aperte satis colligimus in eodem opere simul Deum et nos operari.* Docet ergo omnia quæ nos de his auxiliis sentimus, et dum nihil addit, indicat hæc sufficere, alioqui mutilam doctrinam tradidisset, et insufficientissime objectionibus et difficultatibus satisfacisset. Eandem doctrinam confirmat in l. 9, verbo *Libertas*, hæres. 1, circa finem; et omnia quæ in confirmationem libertatis ibi adducit, eo tendunt ut ostendat non solum hominem de se liberum esse, sed etiam, postquam Dei præviam motionem accepit, sui juris esse ut in hanc vel illam partem determinari incipiat. Et aperte dicit Deum expectare hanc hominis cooperationem liberam postquam illum vocavit.

10. *Attestitur Michael de Palacios.* — *Deum bifariam liberum arbitrium movere.* — *Nullam prædeterminantem gratiam hic auctor agnoscit.* — Quarto, libet hic Michael de Palacios attingere, quem in libr. de Auxiliis prætermisi, quia de concursu Dei aliter quam nos loqui et sentire visus est in 1, distinct. 46. Nunc autem, quia invenio illum pro physica prædeterminatione allegari, cogor illius sententiam expendere, ut veritas innotescat. Citatur ergo in 2, distinct. 25 et 26, quia dicit: *Deum bifariam movere liberum arbitrium, efficaciter et ineffaciter*, quæ verba habet in distinct. 25, in ultimo paragrapho totius disputationis, respondendo ad argumentum in principio positum. Sed videamus quomodo membra illius partitionis exponat, ait: *Ineffaciter quidem movet, quando excitat, vocat, prævenit, non sub-*